



Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novi T. recte inter-pretandi.
3. de templo Herodis M.
4. de vanitate philosophantium etc.
5. de vestigiis lingua hebraica in lingua graeca.
6. de theologia historica & dogmatica coniungenda necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religionis.
8. de doni linguarum natura ad illustr. 1 Cor. XIII.
9. de avaxepastaxwβeae coelestium et ter-
restrium ad Ep. I. 10.

2. D. J. S. Romler

10. de liberali doctoris S. I. provincia
11. de J. P. Franer
11. de quo Christus imago dei inveniibilis, ad 2 Cor. III. 4. 1 Cor. I. 12. Hebr. I. 3.
12. spiritus apostolorum Jesu & magister agens mandata ad Joh. XIV. 8-11
13. de quo Christus, quam in sententiam ois, et dici legislator novus potest.

3. J. H. Heibitz

14. de iis qui primitias spiritus acceperunt ad Rom. VIII. 27.
15. explicatio capituli Ab. Paul. ep. ad Rom. ad Rom. var. Baumgarten.
16. de vixit rē ab hominib; in sua vita non obtinenda.
17. obs. ad illustrationem M. T. ex pro-
fuit

4. J. G. G. G. G. G.

18. de vero usu atque abusu rationis hu-
manae in rebus divinis.

7. D. Gott. Leib.

19. de doni linguarum indole
20. de filio hominis
21. sententia iudeorum de messia &
de loro epus regno.
8. Franc. Volkmar Reinhard
22. utrum ad aedificium de miraculis requi-
ratur inivisa naturae accurata cognitio
op. cit. S. Merxdoeff
23. de amen liturgico.
24. iudicium de nonnullis dubitationibus
contra rel. Christ.

10. J. Beni. Koppe

25. quid sit & auctoritas quo scripturae et qui
et interpretor 2 The. II. 2-10.

11. J. L. C. Loeber

26. vindicta iudicia divina in morte trauis
ad Act. I. 1-11.

12. F. Endr. Stroth.

27. de vera lexone 1 Joh. II. 3.

13. D. C. G. Pittmann

28. de quo deus in servator in ev. Joannis de
monstratur.

14. D. C. G. Robert.

29. causa belli formaliter adorsur lana-
nari gerit. Tacunt multa

15. C. D. Beck.

30. specimen historiae bibliothecarum alexon.
donarum.

16. C. L. Gerling

31. doctrina de summa atque altera de se
Christi divinitate.

Jouann.
N. 129.
2.

14
ACADEMIAE HALENSIS
PRORECTOR
IOAN. FRIDER. STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICES ET
CAMERALIVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
REGIORVM ALVMNORVM EPHORVS
ACADEMIAE MOGVNTINAE SODALIS

CVM
DIRECTORE ET SENATV

AD
SACRA PENTECOSTES

ANNI MDCCCLXVII
PIE CELEBRANDA
CIVES EXHORTATVR

*Praemissa est commentatiuncula de HIS, QUI PRIMITIAS SPIRITVS
ACCEPERVNT, ad Rom. VIII, 23.*

HALAE MAGDEBVRGICAE
EXCVDEBAT IO. GODOFREDVS TRAMPIVS.



acra Pentecostes pie, ut decet, ut celebretis, VOS, currentes quidem, ut speramus, hortaturis, CIVES HUMANISSIMI, commodè occurrunt αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, quorum PAVLLVS meminit ad Rom. VIII. 23: de quibus vero non vnum interpretēs omnes, idemque sentiunt. Tria autem, si quid videmus, sunt, de quibus maxime quaerendum nobis erit; breviter tamen, et strictim: quippe quibus copiosis esse in praesentia non licet. Nimirum ante omnia dispendium erit, utrum de prima, an de tertia persona apostoli verba accipi debeant: deinde disputandum, qui sint illi, qui *primitias Spiritus acceperunt*; ita enim Graecum ἔχοντες vertimus a): definiendum denique diligentius, qualis sit tandem illa ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος. Tria ista capita si pro virili illustraverimus; nihil speramus superfuturum esse, quod in verbis apostoli ulterius VOS morari possit.

Interpres igitur Latinus Vetus verba Graeca vertit: *nos ipsi, primitias Spiritus habentes*. Locus hic non patitur, ut operose disquiramus; utrum ille interpres codicem Graecum secutus fuerit, in quo legerit ἡμεῖς αὐτοί; sunt enim codices quidam manu exarati, uti videre est apud MILLIUM et WETSTENIUM, in quibus Pronomen ἡμεῖς legitur, quod caeteri, sique omnino plures, non agnoscunt; an vero illud nos de suo addiderit, ut interpretatio planior fieret. Nam quaestionem illam non plane incelebrem, num Codices Graeci multis in locis ad Versionem Latinam resingi in ecclesia occidentali, et interpolari consueverint, omittere iam totam licebit; quum tale quid PAVLLI certe verbis, de quibus iam agimus, non euenisse, inde planum fiat, quod THEODORETVS, quem MILLIUS et WETSTENIUS laudant, sed cuius locum non vacat in praesentia operosius inuestigare, in codice suo voculam ἡμεῖς habuit. Potuit autem ἡμεῖς ex librarii errore oriri, transferentis huc ex sequentibus statim, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς σεβάσομεν: potuit etiam ex margine in orationis contextum irrepere; ubi posuerat aliquis interpretationis causa. Nam interpretatio ipsa recens non est. Inter recentiores vero praeter alios, quorum iam omitimus nomina indicare, LUTHERVS, ERASMVVS, BEZA, BULLINGERVS,

a) Nimirum verbum ἔχω respondet h. J. Hebraeorum קָחָ sumsit, cepit, accepit, et נָשָׂא tulit, sumsit, accepit. Vide Gen. XXXVIII, 23, Amos VI, 13. II Paralip. XI. 21.

RVS, CLARIVS, IAC. CAPELLVS, BALDVINVS, ERASM. ET SEB. SCHMIDII, IO. PISCATOR, GROTIVS, CALOVIVS, IAC. WELLERVS, LIMBORCHIVS, vertunt: *nos, qui primitias Spiritus habemus*: quum alii interpretari malint: *ipsi illi, qui primitias Spiritus habent*. Quorum quidem interpretationum vtra verior sit, ex ipsius apostoli orationis serie iudicari posse arbitramur; quippe qui addit statim, *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*: quibus quidem verbis de se vno loqui PAVLLVM, esse non obcurum videtur; et ex iis, quae in sequentibus a nobis dicuntur, magis etiam apparebit. Neque enim qui verbum *inquam* interponere audent, vt verba haec cum antecedentium interpretatione sua facilius connectant, agere aliquid videntur. Nam illi, quum vim facere orationi Paullinae dici non praeter meritum possint, vereor, vt eum conatum suum iis probent, qui, lectione veterum assueti, iudicare de talibus incorruptius solent.

Sed haec disputatio deducit nos ad quaestionem aliam; cuius declaratio illi, quam veriore videri diximus, verborum PAVLLI interpretationi lucem non sperendam esse allaturam speramus. Nimirum explanandum paucis est, qui sint tandem *οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες*. Hic vero si interpretes consulas, magnum itidem inter eos dissentium deprehendes. Inuenies enim alios, et, si numerum in eas, plures; qui credentes in Christum omnes intelligere nos iubeant. In his, nam omnium nomina recensere vellem longum nimis, et operosum foret; in his vero sunt VATABLVS, CLARIVS, IAC. CAPELLVS, PISCATOR, BALDVINVS, SEB. SCHMIDIVS, GOMARVS, CVNDISIVS, CALOVIVS, IAC. WELLERVS, SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVS. Reperies quoque, vt IO. ALPH. TURRETINVM; qui Apostolos interpretentur, et Christianos primi temporis caeteros, qui Pentecostes die dona Spiritus sancti acceperint. Habebis denique alios, vt BVLLINGERVM, GROTIVM, LIMBORCHIVM; qui de Apostolis solis accipienda esse verba Graeca disputent: ita tamen, vt quae in PAVLLI verbis sequuntur, *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*, repetitionem quamdam superiorum didorum contineant; atque verbum *λέγω, inquam*, subaudiri debeat. Quod posterius non assentimur viris doctissimis: etsi Apostolos solos esse *τοὺς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας*, omnino affirmemus. Nam praeter Apostolos, Christianos alios die illo Pentecostes, cuius acta LVCAS refert, *Act. Cap. II*, donis Spiritus Sancti tam praecellente ac singulari modo armatos esse, non legimus *b*). Potius eam LVCAS narrationem de Apostolis vnice intelligi debere, ex *segm. 14 et 37* planum sit. Ad credentes vero in Christum omnes PAVLLI verba, de quibus quaerimus, plane non pertinere, ex ipsa orationis serie apparet: de qua re, quam breuissime fieri poterit, iam exponemus.

* 2

Di-

b) Vide PHIL. ALIMBORCH *Commentar, in Acta Apostolor. ad b. l. p. m. 12. ed. Rotoroæ.*



Dixerat Apostolus supra, segm. 18 et sequentibus, „existimare se, mala, quae dei filiis, Christi autem fratribus hac in vita toleranda essent c), parua esse et contemnenda prae gloria olim in ipsis apparitura. Anxia autem expectatione eos, qui per Christum denuo creati se passi sint d), illud tempus sperare, quo ad plenam filiorum dei gloriam peruenturi sint e). Eos enim vanitati vitae huius f) subici non sponte sua, sed propter eum, qui subiecit g) cum spe propofita, fore, vt ipsi vindicentur olim ex feruitute vitae huius infirmae in libertatem gloriosam filiorum dei h).” Iam vero post digressiunculam, si ita appellare licet, segm. 20. 21. resumit quasi orationem PAVLLVS, aliquantulum interruptam, pergens segm. 22: „Scimus igitur, omnes, qui denuo creare se per Christum passi sunt, ingemiscere, et dolere haecenus. Hoc vero non illi solum omnes faciunt; sed ii ipsi heroes quoque, qui primitias Spiritus acceperunt; et ego ipse Paullus gemo apud animum meum, et adoptionem plenam cupide expecto, liberationem a corporis huius, peccato obnoxii, vinculis i).” PAVLLVS distinguit se hoc loco, et separat ab Apostolis reliquis; quia ipse non fuit e numero eorum, quibus die Pentecostes insignia illa Spiritus Sancti dona concessa fuerant.

Videmus autem, eos, qui primitias Spiritus acceperunt, intelligi non posse alios, quam Apostolos, die illo Pentecostes exiniis plane et praestantissimis

c) Τα πυθέματα τῶν υἱῶν κτισθῶν, de quibus PAVLLVS loquitur non solum mala sunt, quibus Christiani ab hostibus religionis eo tempore affici solebant; sed maxime ἡ μεταίωτης, segm. 20. δουλα τῆς φθορᾶς, segm. 21. τὸ σῶμα, segm. 23: vt breuiter dicam; peccatum, et oriunda inde mala.

d) Κτίσις h. l. est ἡ καινὴ κτίσις, II Cor. V, 17. Hoc docet series orationis. Nam ἡ κτίσις expectare dicitur τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, segm. 19. item spem habere, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Igitur multum agendo nihil agunt, qui τὴν κτίσιν de rebus creatis omnibus, aut certe de hominibus cunctis intelligere nos iubent.

f) Μεταίωτης, מַטְיָוִת. Vide Ps. XXXIX, 6. cum Commentario IOAN. CLERICI, Eccles. VII, 1. 16. IX, 9. XI, 10. quibus in locis omnibus εἰ δ. vocem Hebraeam verterunt Graece μεταίωτης.

g) Τὸν ὑποτάξαντα deum esse, vel ea, quae adduntur a PAVLLO, ἐπ' ἐπιπέδι, ὅτι κ. τ. λ. docere nos possunt. Deus non vult, vt qui per Christum denuo creati se patienter a vanitate vitae huius liberentur statim: spem autem proposuit illis, fore, vt, si vanitatem vitae huius fortiter ferant, neque succumbant malis, olim ad plenam filiorum dei gloriam transeant. Hoc dici non potest de Adamo, quem esse τὸν ὑποτάξαντα volunt interpretes plerique omnes. Neque de diabolo; quem intelligere lectores LORIVS iubet: contra quem disputat IO. TAYLOR in Annotatt. in Ep. ad Rom. p. 113. ed Germ. licet ipse verum non omnino viderit.

h) Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν, vt infra scribit PAVLLVS, segm. 24. Vide etiam inferius segm. 28, 29. 30. Nobis enim copiosius haec disputare iam quidem non licet.

i) Similia de se testatur PAVLLVS, ad Philipp. I, 21 - 24.

mis Spiritus Sancti donis ornatos. Sequitur iam, ut de *primitiis Spiritus* ad-
damus. Patrum de iis placita legi apud IO. CASP. SVICERVM k) possunt;
qui aliquot eorum loca collegit. Iis locis addo alium IOANNIS DAMASCE-
NI l): τῶν μελλόντων ἤδη γευσάμενοι, τούτων τῶν τέλος ἰδεῖν σπεύδμεν. εἰ
γὰρ ἀπαρχὴ τσαύτη, ὡς δὲ αὐτῆς καὶ ἀμαρτημάτων ἀπαλλαγῆναι καὶ δι-
καιοσύνη ἐπιτυχεῖν καὶ ἀγιασμοῦ, ἐνόησον ἡλικὸν τὸ τέλος. Nimirum ex IO-
ANNE CHRYSOSTOMO omnes hauserunt. Neque abeunt longe FLACIVS,
CLARIVS, IAC. CAPELLVS, PISCATOR, BALDVINVS, CVNDISIVS,
GOMARVS, CALOVIIVS, IAC. WELLERVS, BAYMGARTENIVS; alii:
qui omnes *primitias Spiritus* interpretantur donorum Spiritus Sancti hac in vita
quasi initia; quorum plenitudinem pii ac fideles expectent in vita aeterna. At-
que horum interpretum plerique vocem Graecam ἀπαρχὴν comparare solent cum
voce Hebraica קריבה: quod idem faciunt GROTIIVS, LIMBORCHIVS,
TVRRETIVS; et si τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος cum BVLLINGERO ex-
ponant de donis Spiritus Sancti die Pentecostes Apostolis mirandum in modum
concessis. Sed *primitias* illas, quae apud Hebraeos קריבה dicuntur m), pa-
rum hac trahi posse cenfeo. Nam, ut alia taceam, primitiae illae offereban-
tur deo: τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος autem deus contulit in Apostolos. Cae-
terum bene PHIL. A LIMBORCH n): „Cum eos, quos hic fidelibus opponit
p) (PAVLLVS), seu potius praefert, affirmet accepisse *primitias Spiritus*, cer-
tissimum est, per illas eximium quid ipsis attribui, quo supra reliquos fideles emine-
bant, nimirum quod primitias, seu prima dona, proinde praestantissima, Spi-
ritus Sancti acceperint. Et haec fuit praerogativa Apostolorum prae reliquis
fidelibus: Dominus enim decimo ab ascensione sua die, festo Pentecostes,
Spiritum Sanctum primo in Apostolos effudit, ut essent fundatores Ecclesiae
Christianae, Act. II. Bene, inquam, haec LIMBORCHIVS; nisi quod non
video, qua ratione ex sola voce ἀπαρχὴ colligi recte possit, dona illa Spiritus
Sancti fuisse praestantissima. PAVLLVM vero per τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος sin-
gula-

* 3

- k) *Thef. Eccl.* Tom. I. p. 423 seq. Caeterum Codd. *Clar. Lat. Boerner. Lat. item Ambros.* (vel potius *Ambrosiaster*, Ep. 35.) et *Primas* non *primitias* habent, ἀπαρχὴν, sed *receptaculum*. Vide IOAN. MILLIVM in notis ad PAVLLI hunc locum, et in *Prolegom.* §. 783. ERASMVVS suspicabatur, AMBROSIVM scripsisse *receptaculum*; scribam, verissime in *receptaculum*: quod nescio, an videri valde verisimile possit.
- l) *Ex Vniuersa Interpret. Ioan. Chrysost. Excerpt. Compendiar.* p. m. 31, Tom. II *Opp.* ex ed. P. MICH. LE QUIEN.
- m) De his vid. SIXTIN. AMAMA in *Commentar. de Decimis Mosaisicis*, quem praemisit *Lib. I. Anti-Barb. Bibl.* et IOAN. SELDENVS in *Dissert. de Decimis, Sect. II.* §. 1. quam IO. CLERICVS edidit post *Commentar. in Deuter.* p. 628 seq.
- n) *Commentar. in Epist. ad Rom.* p. m. 379.

gularia plane et eximia Spiritus Sancti dona indicare, satis iam inde apparet, quod dicit: ΟΥ ΜΟΝΟΝ ΔΕ, ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΑΤΤΟΙ τὴν ἀναρχίαν τοῦ πνεύματος ἔχοντες.

Vt vero ipse tandem de illa ἀναρχίᾳ τοῦ πνεύματος sententiam dicere audeam; interpretor *primitias Spiritus Sancti Noui Testamenti*. Apostoli sine controuersia acceperunt prima dona Spiritus Sancti Noui Testamenti. Et si enim negari non possit, Spiritum Sanctum ante diem illum Pentecostes adfuisse omnium temporum Veteris Testamenti fidelibus: illud tamen dubio caret, Spiritum Sanctum Noui Testamenti non adfuisse ante eum Pentecostes diem. Ioannes baptizabat aqua ad respiciendum: Iesus Christus autem baptizaturus erat Spiritu Sancto et igne *o*). Dona igitur collaturus erat, quae per baptismum Ioannis obtineri non poterant. Ipse autem Christus baptizare Spiritu Sancto non poterat, nisi post abitum ad patrem et ascensum in caelos *p*). Eius baptismi initium fecit die Pentecostes *q*): vt ita planum sit, Apostolos eo die *primitias Spiritus Sancti Noui Testamenti* accepisse.

Atque hoc sic fieri necesse erat; vt Apostoli testes Iesu Christi esse possent Hierosolymis, et in omni Iudaea atque Samaria, vsque ad terras vltimas *r*); vtque per eorum ministerium dona Spiritus Sancti offerrentur hominibus aliis. Nam ipsi ante, quam eximiis illis et singularibus Spiritus Sancti donis armarentur; parum sane idonei erant ad munus, cui Iesus Christus eos destinauerat.

Illi enim saepe, quae Christus ipsorum erudiendorum causa dixerat, plane non intellexerant *s*). Breui autem ante mortem magistri tempore quales fuerint, colligere ex Christi ad eos sermone licet: „Multa insuper habeo dicere vobis; sed nunc non potestis capere *t*).” Nimirum opiniones praedicate, quae ipsis cum Iudaeis omnibus communes erant, ita caecauerant animos eorum, vt de *πνευματικῆς* iudicarent *ψυχῶν*. Quum Iesus de cruciatibus subeundis sibi, et de morte et resurrectione sua ad ipsos loqui inciperet; Petrus, quae erat eius imprudentia, respondebat non sine animi commotione: „Hoc abs te deus auertat, domine! Tale quid nunquam eueniat tibi *u*)!”, Nimirum Petrus cum discipulis reliquis de Messia, quem illi quidem omnes credebant Iesum esse, non sentiebat verius, quam Iudaei cacteri; qui magnum sibi et praepotentem regem somniabant, quem sperabant populum suum ab hostium, Romanorum inprimis, dominatione liberaturum, atque in felicissimo maximeque fortunato re-

o) MATTH. III, 11. MARC. I, 8. ACT. I, 5. *p*) IOAN. XVI, 7. ACT. I, 4. 5. 8. II, 33.

q) Vide ACT. II, 33.

r) ACT. I, 8.

s) Vide eius rei exempla MATTH. XVI, 6 seqq. MARC. IV, 13. VII, 17. 18. VIII, 17. 21. IX, 32. LUC. IX, 45. XVIII, 34. IOAN. XII, 16.

t) IOAN. XVI, 12.

u) MATTH. XVI, 22. De phrasi *Deus eo*; *Képie*, vid. IO. CHRISTO. WOLFFII *Car. Philol. et Crit. ad b. l. p. 260* seq. et cel. GE. DAV. KYPKE, *Observat. Sacr. in N. F. ad b. l. Tom. I. p. 82* seq. Non puto posse eam Latine melius verti, quam: *hoc abs te deus auertat, domine!*

rum omnium statu collocaturum esse. Inde vero magistri mors tam praeter spem expectationemque discipulorum omnium euenit, ut illi percussi ea re et abiecti, quasi attoniti stupere. Hoc erat, quare, Iesu morte affecto, lacrymis et tristitia totos se tradebant, crebro concurfabant, ianuasque prae metu Iudaeorum diligentissime occludebant. Illi Emmaument proficiscentes discipuli *x*) incedebant tristes; atque magistro, qui in via se itineris comitem illis adiunxerat, sed quem ipsi, quia mortis eum vincula rupisse ne suspicabantur quidem, magistrum esse nesciebant *y*), quaerenti de qua re inter se colloquerentur, et qua de causa adeo tristes essent, respondebant: „Tunc solus peregrinus es Hierosolymis, qui ignoret, quae his diebus acta ibi sunt de Iesu Nazareno, propheta potente factis et sermone coram deo et populo vniuerso: quem tradiderunt sacerdotes nostri summi et principes ad mortis supplicium, et cruci assignandum curarunt? Nos autem sperabamus liberaturum esse populum Israeliticum. Iam vero tertius hodie dies agitur, ex quo ista gesta sunt.“ Ipse Iesus quam diligenter his ipsis discipulis *z*), et, breui tempore post, reliquis etiam *a*) declarabat, et prophetarum testimoniiis confirmabat, Christum id est, Messiam, oportuisse cruciatus extremos subire, mori, et die tertio viuum e sepulcro prodire! Tamen ii ipsi discipuli, post magistri haec et alia amplissima et dilucidissima monita atque praecepta *b*), ex abituro iam in caelum et ad dexteram dei patris confessuro quaerebant: „Domine, num eo tempore denuo conditurus es regnum Israelis?“ His igitur putabimus ad obeundum doctorum totius terrarum orbis munus satis iam instructis, singulari aliquo auxilio praesidioque diuino opus non fuisse?

Atque auxilium illud praesidiumque diuinum singulare promiserat Christus Apostolis suis non solum ante, quam ad crucis supplicium raperetur *d*); sed etiam paullo post, quam triumphans de morte e sepulcro prodierat *e*): magistrum aliam, ἄλλον παραιλέητον, Spiritum Sanctum, qui intelligere eos faceret, et in memoriam ipsis reuocaret omnia, quae ipse Christus, agens cum ipsis, ad eos loquutus esset *f*); et qui παρηγοίαν ipsis adderet, si ad subfellia iudicum traherentur *g*), si contumeliis, si cruciatibus, si denique morte ipsa afficerentur. Quae quidem omnia ipsis euentura esse, magister praedixerat; et omnino euenisse, abunde historia docet.

Eum

x) Lvc. XXIV, 13 seqq.

y) Haec vera causa est, quare discipuli illi magistrum suum, alloquentem ipsos, non agnoscebant. Qui in verbis *segm.* 16, *οἱ δὲ ἰεροσολιμοὶ αὐτῶν ἐκμαρτύνητο τοῦ ἐπισημῶναι αὐτῶν*, eius rei causam aliquam supernaturalem suspicantur, nimis ingeniosi dicam an superstitiosi? esse videntur.

z) *Ibid.* *segm.* 25, 26, 27. *a*) *Ibid.* *segm.* 36-47. *b*) Vide etiam *Act.* I. 3.

c) *Act.* I, 6. *d*) IOAN. XIV, 16, 17, 26. XVI, 7, 13, 14. *e*) *Act.* I, 5, 8.

f) IOAN. XIV, 26. *g*) MARC XIII, 11. LVC. XII, 11, 12.



Eum Spiritum igitur, eius dona singularia plane atque validissima Christus Apostolis promiserat, descendere in ipsos fecit die Pentecostes post ascensum suum in caelum proximo *h*). Eius rei memoriam, CIVES CARISSIMI, veteri consuetudine institutoque maiorum ecclesia Christiana celebrare solet his ipsis diebus, ad quos rite obeundos in praesentia VOS hortamur. Ante omnia igitur agnoscite, quaesimus, *την Φιλανθρωπίαν* dei; qui apostolos non solum per Iesum Christum, filium suum, instituit, sed donis etiam Spiritus Sancti eximii plane et admirandis armavit, ad docendum euangelium per magnam terrarum orbis partem, ad ecclesiamque condendam; in qua ecclesia dona Spiritus Sancti propagarentur quasi ad omnes, qui euangelio obediunt; non quidem miraculosa illa, qualia Apostoli acceperunt olim; ea tamen, quibus regenerari quasi, et ad vitam *πνευματικὴν* perducī possint homines, *ὄντες νεκροὶ τοῖς παραπτώμασιν* *i*). Vnus enim Spiritus est; et si dona sint varia *k*).

Eam vero dei *Φιλανθρωπίαν* sic agnoscite; ut moueri illa VOS patiamini ad obediendum euangelio. Hoc enim nisi agatis serio, dona Spiritus Sancti sperare numquam poteritis. Eritis igitur alieni a Christo: a Christo, inquam, omnis salutis fonte unico *l*). Nam *εἰ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ τμ*).

Is Spiritus, qui Christi dicitur, quia Christus a patre misit eum *n*), operatur in regno gratiae per Verbum et Sacramenta: quibus Verbo et Sacramentis dispelluntur intellectus nostri tenebrae, et voluntatis prauitas emendatur ac corrigitur ita, ut vitam viuere incipiamus deo probatam, nobis vero aeternam vilem ac fructuosam.

Per salutem igitur Vestram oramus VOS et obtestamur, libenter legite et audite Verbum dei. Legite autem sic, et audite; ut ne repugnetis Spiritui Sancto, pulsanti per illud salutariter animos Vestros. Sacramentis porro utamini sic; ut eorum, quae deo ex foedere, per baptismum inito, debetis, memores semper viuatis; iis autem, quae deus veracissimus VOBIS, baptisate tinctis, promisit, fide firma et inconcussa nitamini. Denique sacra coena, quae Christi, pro peccatis vestris mortui, corpus VOBIS et sanguinem exhibet, fruamini crebro, pie, ac digne: id est, ita, ut cum incremento fidei a dapibus illis caelestibus recedatis; ut, praecepti Paullini memores *o*), quoties panem illum edatis, et de poculo illo bibatis, mortem Iesu Christi, seruatoris Vestri, quasi corroborata inde magis et confirmata vitae integritate atque innocentia nunciare studeatis.

Memoria diei Pentecostes, quo die Spiritus Sancti dona concessa Apostolis sunt, deduci VOS ad eam cogitationem si patiamini, CIVES SVAVISSIMI; ut existimetis, VOBIS etiam omni ope atque opera enitendum esse, ut Vestri quoque animi templa Spiritus Sancti fiant; dies hos festos pie, religiose, et VOBIS salubriter celebrabit. P. P. a. d. VII m. Iunii, A. C. N. c1818cclxvii.

h) Act. II, 1 seqq.
m) Rom. VIII, 9.

i) Ephes. II, 5.
n) Ioan. XV, 26.

k) 1 Cor. XII, 4.
o) 1 Cor. XI, 26.

l) Act. IV, 12.

Na 32.
g

vd 18

ULB Halle
005 367 468

3





14.
ACADEMIAE HALENSIS
PRORECTOR

IOAN. FRIDER. STIEBER

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE

CAMERALIVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

REGIORVM ALVMNORVM EPHORVS

ACADEMIAE MOGVNTINAE SODALIS

CVM

DIRECTORE ET SENATVS

AD

SACRA PENTECOSTE

ANNI MDCCCLXVII

PIE CELEBRANDA

CIVES EXHORTATVR

*Praemissa est commentatiuncula de IIS, QUI PRIMITIAS
ACCEPERVNT, ad Rom. VIII, 23.*

HALAE MAGDEBVRGICAE

EXCVDEBAT IO. GODOFREDVS TRAMP

